





In honorem nuptiarum  
 ORNATISS. ET HONESTISS.  
 J U V E N I S  
 BALTHASARIS IOHANNIS  
 K I S E W E T T E R I.

Viri Prudentiss. & doctiss.  
 DN. JOHANNIS KISEVVETTERI,  
 Reipub. Servestanæ Camerarii me-  
 ritissimi F.

S P O N S I.

*Cum*

Virgine pudiciss.

CATHARINA,  
 AUGUSTINI MASCLAPPII  
 F I L I A.

S P O N S A.

Celebratarum Servestæ Nonis  
 Julii.

*Vota & Carmina nuncupata ab iis, quorum sua  
 cuiusq; versibus nomina sunt  
 adscripta.*

ANNO

M. DC. XVII.

SERVESTÆ

*Imprimebat Zacharias Dörffer.*

In honorem  
 ORNATISS. ET HONESTISS.  
 JOHANNIS  
 BALTHASARIS JOHANNIS  
 KILBERTI  
 Viri Prudentissimi Doctoris  
 Dr. JOHANNIS KILBERTI  
 Reipublicae Servitium  
 Praesidis  
 S. P. O. A.  
 Viri doctissimi  
 CATHERINA  
 ANASTASII MASCLEARTII  
 S. P. O. A.  
 Ceterum rectoris  
 S. P. O. A.  
 Anno  
 M. DC. XVII.

---

Typis  
 Johannis Zachariae  
 Dr.





## EPITHALAMION.

**E**ngrata si res conjugium est DEO,  
E limo Adamus conditus à DEO  
Etiam sibi è costâ creatam  
Cur sociat Domino jubente.

Est ergo gratum conjugium DEO  
Summo, sacer quod comprobat ordo, quod  
Auctor probat, qui ritè sanxit  
Vincula casta tori sacrati.

Si sanctus autor, sanctio & est sacra  
Tori, DEUS nam non nisi sancta agit,  
Et Filius summi Parentis  
Conjugium probat ipse Christus.

Sacras vocatus conjugii ad dapes  
In vina lymphas vertit aquaticas,  
Quæ vix peregisset, sacrata  
Fœdera nî thalami probasset.

Tu Sponse rectè, Sponse facis piè,  
Quod jura sacri jam thalami subis,

A 2

Gratum

Gratum facis summo Jehova,  
Quod, faciens, DEUS ipse iussit.  
Hinc gratulantur de thalamo tibi  
Omnes, precantur prospera nunc tibi,  
Quaecunq; Rex paucis precatus  
Psalmographus, precor ipse vobis.

Psal. 128. *Felix qui Dominum timet,  
Quem tenet Domini timor,  
Falsas devius in vias  
Quem non abstulit error.  
Nam cedent tibi prosperè  
Et feliciter omnia,  
Te dextra labor & tua  
Pascet Numine prono.  
Ut vitis viridi comâ  
Cingit tecta domus, tua  
Uxor germine prodigo  
Sic te cara beabit.  
Et mensam agmine liberi  
Cingent, non aliter cohors  
Ambibit tua fercula,  
Quam ceu termes oliuam.  
Namq; hac dona manent, timor  
Quem*

Quem verus Domini tenet,

Inter plurima gaudia

Felix transiget ævum.

Ille sic benedicitur,

Qui colit Dominum: DEUS

In te depluet & bona

Cuncta ex arce Sionis.

Ut cernas oculis bona,

Quæis floret Solyma & viget

Arx, quæ sacra DEO, reget

Hos dum Spiritus artus.

Et cernas sobolis tuæ

Multâ stirpe propaginem, &

Quâ gens Isacidum pia

Dulci pace fruaris.

Hæc quæ piis est quæq; timentibus

Ex corde toto cœlicolum patrem

Psalmo precatus David, opto

Cuncta tibi quoq; Sponse, fausta.

Votis precor nunc, optimus ut DEUS,

Qui fautor autor conjugii, tuo

Adsit toro, Sponse, atq; multâ

Prole tuum thalamum coronet.

A 3

Flatusq;

Flatusq; sanctus vos foveat, precor,  
Regat, gubernet sanaq; corpora  
In mente sanã, cuncta vitæ  
Quæ ratio exigit, hic ministret.  
Sis, Sponse, felix, Sponsaq; sit simul  
Beata, nunquam lis dolor aut tuas  
Perturbet edes, vos sed unus  
Atq; amor atq; fides gubernet.  
Vivatis opto secla Mathusale,  
Et gaudio vos afficiant quoq;  
Nomen parentis qui propagent  
Plurima germina liberorum.  
Quæ corde toto Sponse tibi precor,  
Quæ corde toto Sponsa tibi precor,  
Quin plura summus det Jehova  
Pro bonitate suâ paternâ.



ONO.





ONOMA ET HPION  
EJUSDEM AUCTORIS.



Altasar, ex omni sacra pagina parte beatum,  
Cui bona virgo datur, cui pudibunda datur,

Appellat, faustum nimirum dicitque beatum,

Apto cui virgo jungitur apta toro.

Lætus enim placidæ duplicabit tempora vitæ,

Tutâ abeunt redeunt prosperitate dies.

Talis, Sponse, tibi venit nunc auspice Christo,

Ac tibi sit talis femina ut usque, precor.

Acceptæque tuæ duplicabis tempora vitæ,

Rectâ abeant redeant prosperitate dies.

Sed cum sit thalamus schola, cumque Academia vitæ,

In quâ virtutum militat omne genus.

Ante tuum lectum sua quævis castra locabit

Notitiam virtus posteritatis habens.

Res parvas animi concordia servat & auget,

At si animus discors depopulatur opes.

In castris igitur vestris Concordia primum

Militer, ac hujus castra sequatur Amor,

Omnia sit necdens concordia carior auro,

Atque lternus certet vester amore torus.

Atque

A tq; Pudor castus tum castra sequatur amoris,  
S implex hunc Candor, mentis & Integritas,  
N am dos summa pudor Spōse, laus summaq; mētis  
C andor: Supremus nil nisi casta probat.  
N escia nunc virtus, quæ vinci rebus in arctis  
L æto Marte Fides militet, alma fides.  
E t duram tolerans adsit patientia fortem,  
A tq; domum palmæ præmia læta ferat.  
S i tibi res igitur fuerint lætæ atq; secundæ,  
P laude, DEO grates pectore & ore cane,  
C um res adversæ fuerint, patienter easdem  
P erfer, & has etiam scito dedisse DEUM.  
I pse prout dederit DEUS, accipiamus oportet,  
I lla bona aut mala sunt, non meliora petas.  
S perandum melius, surget post nubila Phœbus,  
F inem, quæq; premunt, sunt habitura suum.  
E t solet alternâ vice res donare secundas  
I pse poli rector fataq; dura DEUS.  
V ive piè, inq; DEI sincero vive timore,  
L iber & ex cunctis egrediêre malis.  
V tilis est pietas, & habet promissa salutis,  
I lla sit & vitæ regula certa tuæ.  
E st etenim virtus pietas suprema, sed illa  
A nte tuum lectum prima sit, atq; regat  
T e q; tuumq; torum virtus hæc, atq; sequantur  
S ic omnes, proprium miles ut usq; ducem.

Tu

**T**u pie Sponse tuâ cum Sponsâ vivito concors,  
**P**erpetuò constans in pietate mane.  
**E**t dabit ipse **D E U S**, quæ vitæ postulat usus,  
**O**rnabunt vestrum pignora cara domum.  
**R**espiciet proles matremq; patremq; beatum,  
**N**unquam non vester luceat igne focus.  
**V**ive valeq; diu, felicibus utere fatis,  
**S**it, volo, fœcundus, sitq; secundus amor.  
**S**it tibi, Sponse, precor, mens sana in corpore sano,  
**A**ere crumena crepet, vos **D E U S** almus amet.

Moris  
Amoris  
Honoris ergò depropera-  
bat.

*Felix Haustadius, Ser-ve-  
sta-Anhaltinus.*



**AD SPONSVM.**

**M**ulta tibi tribuunt fortassis munera multi,  
Dum sacrata tori fœdera Sponse subis.

**B**

**In**

In quorum numero cuperem non ultimus esse,  
Si mihi nunc esset copia dives opum.  
Hoc & plura tui nam promerere parentes:  
Hoc ego debebam, dulcis amice, tibi.  
Sed cum tot nequeam bona compensare, parentes  
Hactenus in me quæ sponte tulere tui.  
Sit mea quæso tibi saltem nunc nota voluntas,  
Quæ, licet haud præstet multa, probanda venit.  
Ne tamen omnino vacuus conviva saluter,  
Accedens thalami fœdera sacra tui:  
En pia vota fero: Tu, qui votisq; rogari  
Vis simul & precibus, fac rata vota, DEUS.  
Ex voto vobis succedant omnia, Fautor  
Conjugii præsens cœpta secundet ope.  
Præbeat hic vobis, vitæ quibus indiget usus,  
Suppeditans largâ commoda multa manu.  
Absit Eris, Pax alma toro succedat, & ipsa  
Vestrum ornet Virtus cum Pietate torum.  
Namq; ubi verus amor, pietas prostrataq; casta  
Mens jacet, infestant plurima damna torum.  
Hinc sine lege ruunt multi per fasq; nefasq;  
Et maculant sacri fœdera sancta tori.

Quod

Quod jubet officium, non curat id ipse maritus,  
Transilit & leges femina Conjugii.  
Hic habitant odium, labor, hic habitantq; dolores  
Hic turbant Sponsos jurgia multa pios.  
Ergo piam verè & castam traducito vitam  
Cum Sponsâ illeso Sponse in amore tua,  
Post varios casus varia & discrimina rerum  
Si cupis esse sacre pars quotacunq; domus:  
Sic tibi contingent, quæ vitæ postulat usus,  
Omnia, sic multâ prole beatus eris.  
Sic non tristis erit, sed erit jucunda senectus,  
Sic placidus vitæ terminus hujus erit.

Honoris ac amicitiae  
ergo conscribe-  
bat.

Abrahamus Cremerus  
Ercistadio. Silesius  
Junior.

B 2 ALI



## A L I V D.

**Q**uid strepitus populi? quid denotat ille tubarum  
Clangor? quidve novi est? quis nova festa parat?  
Advolat inconstans vulgus cur ordine nullo?  
Dic Musa: an bellum flagrat in urbe novum?  
Falleris heus, mihi Musa refert, non Martis iniqui  
Est furor hic belli nullaq; signa vides:  
Ingenuæ sed nunc gemmis auroq; puellæ  
Splendent, ac violis florida ferta nitent.  
Hæc est illa dies niveo signanda lapillo,  
Et meritò festis annumeranda sacris,  
Qua datur in thalamum grato nova Sponsa marito,  
Qua duo perpetuus pectora jungit amor.  
Hæc est illa dies JANUS qua BALTHASAR aram,  
Sponsus cum Sponsâ pictaq; templa petit.  
Gratulor ergò tuis, Jane ô carissime, tædis,  
Gratulor & thalamo gaudia cuncta precor.  
O te felicem verè, qui, Sponse, puellam  
Nactus, quam Virtus cum Pietate beat.  
Otia enim non illa sequi, sed Palladis artes  
Exercere colo, fallere tempus acu,  
Non est per vicos omnes asseveta vagari,  
Sed tectis Cochleæ more latere domus.

At

At quis cuncta brevi tentet comprehendere versu,  
Quis celebrare queat, quæ celebranda forent?  
Est igitur quod mens tua gaudeat, Optime Sponse,  
Talem consortem te reperisse tori.  
O nimium antè alias fortunatissima Nymphas,  
Felix ante alias, Sponsa, beata nimis  
O CATHARINA, quod es tali socianda marito,  
Qui Virtute viget, qui Pietate valet.  
Quis verò dignè Sponsum laudaverit, haud est  
Materia hæc, fateor, viribus apta meis.  
Quare alii docto celebrabunt carmine Sponsum,  
Qui facili scribunt carmina docta manu,  
Queis etiam faciles veniunt ad carmina Musæ:  
Quare Ego nunc paucis ad Pia vota feror.  
Qui DEUS unanimi jungis duo pectora nexu,  
Effice fit casto par in amore fides:  
Effice, Nestoreos vivant feliciter annos,  
Impleat illorum multa propago domum.  
Pax ornet thalamum, illorum concordia mentes  
Vinciat: ast absint iurgia dira procul.  
Tristia pelle, DEUS, truculenti prælia Martis,  
Præcipuè tristem Mars facit esse torum,  
Atq; jube tandem post ultima stamina vitæ  
Hos vitæ saturos cæca subire poli:

*Honoris ergo*

*Scribebat*

*Johannes Cremerus Freistadio-Silesius.*

B 3

ALIUD.

A L I U D.

**D**um thalami sacra vincula subis, carissime Spōse,  
Vis ut conscribam carmina pauca tibi,  
Sanguinis hoc sanè possit conjunctio nostri,  
Et pignus nostræ hoc poscit amicitia.  
Sed desunt vires scribendo in carmine, laudes  
Ut Sponsæ & Sponsi sat celebrare queam.  
Quare converto me nunc ad vota precesq;,  
Quæ cœli regem sollicitabo DEUM.  
Christe novis præsens Sponsis tuo adesto favore,  
Concordes vivant plurima secla, dato.  
Et diras tollas rixas, mala cunctaq; pellas,  
Quæ turbent Sponsos non sine clade novos.  
Suppedites ipsis largè quæ postulat usus,  
Pluribus ornetur pignoribusq; torus.  
Vivite uterq; diu multumq; diuq; valete  
Det bona det vobis prospera cuncta DEUS.

Honoris & Amoris ergò F.

Balthasarus Kisevvetterus Junior,  
Servestâ-Anhaltinus.

F I N I S.





JOHANN BERGIO

THEOLOGIE DOCTOR

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI



Cl 1926

ULB Halle 3  
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich  
Buchbindereimeritor  
Merseburg a. S.

1017







63

STISS,  
ANNIS  
R I.  
s.  
TTERI,  
mc-

A,  
APPII

tonis

rum sua

örffer.